

P R O L O G U S.

gloriolam captemus, utpote qui unice hęc in opere Veritati operam dedimus; unde etiam satis superque nobis conscii sumus, si hinc bonam famam, atque existimationem consequi mens fuisset, illam nos, si non apud istos, istorumque ex nutibus dependens vulgus, saltem apud cordatos, quibusque veritas, quamvis paradoxa, curę atque cordi est, (quos solos verę piorum nomine dignos censemus) indubię obtenturos fuisse. Verum non vanę gloriolę captationem, non bonę apud homines opinionis aucupium; sed veritatis propagationem, proximi utilitatem, & divisi ac dissentientis Christianismi compositionem nos nobis scopum fixisse hęc in tractatu, tum ex totó illius contextu, tum ex iis, quę jamjam dicturi sumus, cuilibet ingenuo lectori, & cui nostra hęc conamina sinistrę interpretandi animus non est, luce meridianę clarius patefiet.

Postquam enim, emensó studiorum Academicorum stadió, tam Facultatum Superiorum, ut vulgò vocant, quàm reliquarum Philosophicarum disciplinarum cognitione, quę nostris amicorumque votis satisfaceret, tincti, domum nos recepissimus, de novó per otium ruminaturi, atque ad Veritatis trutinam serió examinaturi, tum quę ex doctissimis Cl. nostrorum Pręceptorum lectionibus, tum quę ex eruditissimis celeberrimorum Authorum libris perlectis, atque monumentis inspectis, totó illius temporis decursu hauseramus; visum fuit, primó animum ad Theologiam appellere, utpote reliquis omnibus multis parasangis præcellentem, cum & bene beateque vivendi viam mortalibus monstret, & eos ad æternam animarum salutem, quę nihil est præstabilius optabiliusve, deducere valeat. In hęc autem dum omnem ponimus operam, ac varias Religionis Christianę Sectas, earumque pugnantes invicem sententias attentę expendimus atque perpendimus, ac inter se conferimus atque dispescimus, haud aliter ferę cum eã hodie, quàm prisca temporibus cum Philosophiã comparatum

raturum